



H. 67



H. 67, 14



Ad
audiendam,
PARENTATIONEM

publicam,

qua

D. MANIBUS

*Celsissimi atq; Illustrissimi Principis ac
Domini,*

DN. CHRISTIANI,

DUCIS SAX. JUL. CLIV. MONT. &c.

Principis ac Domini nostri olim longè

Clementissimi,

cras τὸ ὑπετάκτῳ θέλοντι
habebitur

in

Auditoriò Majori

ILLUSTR. SCHOLÆ ALTENB.

officiosissime invitatur

M. CHR. FUNCCIUS,

RECTOR.

Typis Jo. BERNHARDI BAUERFINCCII.



Ad
audientiam
PARENTHATONEM

publicam
D. M. NIBBIS
Cassellae ad Vindobonensem Universitatem
Dominum

DINCHRISTIANI

THEO. SAX. III. C. V. MONT. &c.



Audientiam
ILLUSTRISSIMO SCHOLAE ACADEMIAE
M. CHR. FRIEDRICH
RECTOR

Typis Jo. Bernhardtii Lipsiae





L. S.



Uanquam Virtus humanis lau-
dibus haut egeat, nec ullis En-
comiastarum codicillis, cum
ipsa suum secum ducat decus ac
gloriam, vel planè juxta **CL.**
CLAUDIANI, Principum He-
roum q; Poëtae præ gloriosissimi,
cicum illud effatum:

*Claudian. d
Mall. Theod
Conf.*

*Ipsa quidem Virtus pretium sibi, solaq; late
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur, plausu ve petit clarescere vulgi,
Nil opis externæ cupiens, nil indiga laudis,
Divitiis animosa suis, immotaq; cunctis
Casibus ex altâ mortalia despicit arce.*

Cui suffragatur **SIL. ITAL.**

Sil. L. XIII.

*ipsa quidem Virtus sibimet pulcherrima merces;
fortè respiciens ad illud veteris Poëtae apud **CLEMEN-**
TEM:*

*Clem. Strom.
IV.*

*ἀρετῆς τῶν ἐν ἀνθρώποις μόνῃ
δὲ ἐν θυσίαισι τ' ἀπίχουσα λαμβάνει,
αὐτῆς δ' ἐαυτὴν ἀθλα τῶν πόρων ἔχει.*

Unde & **SENECA**: Interrogas, quid petam ex Virtute?
Ipsam: Nihil enim est melius; quæ pretium sui est. Ego
tamen, à Majoribus, si cui placuit Virtutis studium; me-
morix ejus retinendæ rectè efficta simulacra, sigilla,

*Seneca L. de
beatâ vitâ
c. IX*



oscilla, statuas item rectè positas, rectè quoq; editos lu-
 dos, rectèq; habitas esse Parentationes, intrepidè & au-
 daçter assero, cū nihil omninò laudabilius sit ac honesti-
 us, quàm defunctorum merita honoribus extollere; nihil
 verius ac sincerius, quàm post ultima fata defunctos, de
 quibus nihil amplius speramus, nullàq; ad laudationes
 eorum autoritate cogimur, laudare; nihil utilius ac effi-
 caciùs, quàm animum ad Virtutem accendere, memoriã-
 que rerum gestarum flammam egregiis viris in pectore
 excitare, nec unquam quiescere, nisi vivorum Virtus fa-
 mam mortuorum atq; gloriam adæquet. Videtur
 equidem illorum, quàm horum laudatio excellentior,
 cū illi ob ea, quæ modò fecerunt, nunc benè faciunt,
 post benè facere possunt; hi saltem ob præterita merita
 laudentur. Sed salva res est. Nam mortuorum laus
 vel ideò est præclarior, quòd, ut in vitâ bene egerunt, ita
 & in bene agendo constantes fuere, honestate cum ipsâ
 vitâ actiones finiente, ubi vivos contra fortuna sæpe, sæ-
 pe invidia fatigat. Hinc verissimè **PROPERTIUS**:

Prop. lib. V.
 Eleg. I.

Majus ab exequiis nomen in ore venit.

Et quid ni? Maximè enim sacer mortis Dies olim erat,
 dictus *Natalis*. Sacra etiam solemnia non *Funera*, sed
Natalia nuncupata deprehenduntur, quia defuncti viri
 boni anima tum demum in veram nascitur vitam. γενέσια
 videlicet dicebantur in Attica, quibus amici ac familia-
 res, defuncti memoriam conservare studentes, itidem
 ejus emortualem celebrabant. Audiamus hîc **AM-**
MONIUM: γενέθλια καὶ γενέσια διαφέρει. Ὅτι μὲν γὰρ
 γενέθλια τάσσεται ἐπὶ τῶν ζώντων, καὶ ἐν ἡ ἕκαστος ἡμέρα
 ἐγεννήθη, αὐτῇ καλεῖται γενέθλιος ἡμέρα. γενέσια δ' ἐπὶ
 τῶν τεθνηκότων, ἐν ἡ ἕκαστος ἡμέρα τετελεύτηκα. Εἰ **MO-**
SCHOPULUM: γενέσιος, inquit, ἡμέρα, ἐν ἡ τις ἐτεθ-
 νήκα.

Ammon de
 differ. voc.

Moschop. in
 Syll. Dict.
 Attic.

ἡμεῖς. Τῶν ἑσίων γὰρ, ἣ δὲ ἐν αὐτῷ ἐπιφοιτῶσα τὸ τεχθέν-
τῳ μνήμῃ. Nec tamen Atheniensibus morem istum
τῶν γενεσίων celebrandorum fuisse, verum etiam, qui ab
istis mox acceperunt, Romanis, Græcanicæ eruditio-
nis promo-condus, IO. MEURSIUS alicubi tradit.
Quicquid sit, satis interim clarè patet, pervetustum
morem esse istum laudandi mortuos, cum tam hone-
stus is sit, ac excellens, tam verus ac sincerus, tamque
utilis ac ad æmulandum satis efficax. Ægyptios sanè
Regibus suis in diem octuagesimum secundum paren-
tasse non solum, sed annuatim laudum præconia reno-
vasse legimus. Legimus item Persas Regibus demor-
tuis non Mausolæa tantum magnifica, sed & anniver-
saria Parentalia adornasse. Ab Ægyptiis igitur ad
Græcos morem laudandi mortuos derivasse Solonem,
nullus ambigo. Et cur ambigerem? Nam, conscen-
sâ nave peregrè profectum, in Ægyptum abiisse Solo-
nem, ibiq; commoratum esse

ad Nili fauces quâ litora curva Canopi,
è Plutarcho probatum it laudatus IO. MEURSIUS, qui
idem è Laërtio scribit, id factum, Republicâ à Pisistra-
to tyranno occupatâ, cum PLUTARCHUS tamen
referat, accidisse post Rempublicam legibus latis ordi-
natam, ut robur iis per absentiam decennalem compa-
raret. Sed de Romanis, rerum Dominis, quid jam di-
cam? Dico, à Græcis parentandi morem ad hos transi-
isse. Habuit primum apud Romanos de Bruti laudi-
bus Panegyricum Publicola, qui adeo fuit gratus, ut in-
de consuetudo manserit laudandi strenuè mortuos. Si-
mitem de Servio Sulpitio, in legatione ad Antonium
mortuo, dixit disertissimus Romuli Nepotum Cicero.

):(3

Virgi-

Meurs. Græc.
Fer. L. II. &
L. de Fun.
c. XXXVI.

Meurs. Sol.
c. XXVI.

Plin. L. II. E.
pist. I.

Sigon. Com-
ment in Fast.
& Triumph.
Rom. de Cosf.
Ann. 744.
Tac. L. XIII.
An. c. 1.
Boëclerus
diss. Academ.
III. qua est
de Eloqu. Po-
litici.

Turneb. L. IV.
Adv. c. 20.

Virginiius item Rufus laudatus post mortem à Consule Tacitò apud juniorem *Plinium* legitur, qui idem addit, hunc laudatorem eloquentissimum veluti supremum felicitatis cumulum ipsi accessisse. Laudatum quoq; esse à Cæsare Augusto vitrico CL. Drusum Neronem Germanicum, Tib. Neronis fratrem, qui ex fractura, equo super crus ejus collapsò, 30. die, quam id acciderat, mortuus, Romamq; à fratre pervectus fuerat, ut in Caji tumulò conderetur, CAR. SIGONIUS scriptum reliquit. Sed & à successore Nerone habitam in Claudii funere laudationem describit CORN. TACITUS, ac nobilem digressionem de civili Romanorum Principum eloquentiâ instituit, quam peculiari Dissertatione illustratam nobis ante hæc tria lustra dedit Vir πολιτικός & IO. HEINR. BOECLERUS. Cùm enim multò cultu *Seneca* (ut fuit illi viro amoenum ingenium, & temporis illius auribus accommodatum) illam Parentationem composuisset, ac fieret, ut annotarent seniores, quibus otiosum erat vetera & præsentia contendere, primum ex iis, qui rerum potiti essent, Neronem alienæ facundiæ eguisse, se abstinere non poterat Historicus ab istâ de priorũ Principum facundiâ digressionem. Atq; sic ab isthac, Romanis familiari, parentandi consuetudine, præter innumera fermè alia, *Lacte, Vino, Melle, Aqua, Sanguine, Unguentis*, aliisq; rebus in honorem & memoriam mortuorum celebrata, rectè traduntur orta *Feralia, Novendialia, Denecalia*. Tantum enim aberat, ut eò ipsò die, quò defunctus sepulchro inferebatur, Parentationum finis esset, ut etiam adhuc certi quidam dies destinarentur, quibus iusta mortuis persolverentur; publicè quidem *Feralia*, ab inferiis & ferendo sic dicta, quòd tunc epulas ad sepulchrum, quib9 jus parentandi, ferrent; privatim verò *Novendiales ac Denecales feriae*, aliisq; dies parenta-

rentales, ut *Tertia* erant & *Trigesima inferia*, itemq; *annua*
ac stata, de quibus seorsim in *Cœmeter. Sacr.* meminit
HEINR. SPONDANUS. Nolo dicere plura ex infinitâ
 eorum multitudine, quæ de *funeralibus Solemnibus quatuor*
Libris KIRCHMANNUS, & ante hunc *ALEX. ab ALEX.*
in Genial. Dieb. sed ad eundem *ANDR. TIRAQUEL-*
LUS, COEL. item *RHODIGINUS* in *Antiquis LL.* in
Antiqu. Rom. *ROSINUS*, inq; *Paralip. DEMSTERUS*, ut
 & *JUSTUS LIPSIUS ad L. IV. 4. Ann. Taciti*, aliiq; sum-
 mō studiō notarunt. Hoc unum saltem dico, ad Christia-
 nos morem parentandi quoq; pervenisse, non tam à Pa-
 ganis quidem, quam ab Ebræis petitum: Sic enim sa-
 cra nos pagina docet, ipsum Davidem suo Orestæ Jona-
 thani parentalia sacra fecisse, cùm ille Philistæorum ar-
 mis cæsus in montanis Gilboa cecidisset. Præcipuè au-
 tem Martyrum memoria primæ fidei Christianæ tempo-
 ribus erat sacra & laudabilis, destinantibus aliis com-
 memoratiōni recens mortuorum tertium, nonum, &
 quadragesimum diem ab obitu; aliis tertium & trigesi-
 mum; aliis diem septimum & quadragesimum; aliis de-
 niq; annō vertente eorum memoriam celebrantibus, do-
 nec vel statuae & imagines in templis Martyrum pone-
 rentur, vel eorundem corpora, veluti virtutis ac pietatis
 simulacra, vivorum oculis exposita, ibidem humarentur;
 ne dicam, quod sequiori ævo *superstitiosè* magis, quam
religiosè non pauci Divorum catalogo adscribi cœperint,
 sicut olim Heroës inter Divos relati habebantur. Quæ
 quum ita sint, adeoq; *ὀφθαλμοφανέως* parentandi anti-
 quitas è dictis patefcatur, nec præter rem, nec à suâ pieta-
 te meo suafu alienum esse duxit Nostras quidam, *boni*
commatis Adolescens,

GODOFREDUS Petri Hayna-Misnicus,

si

Spond. Cœ-
met. sacr. L.
1. P. III. c.
XVI.
Alex. ab
Alex. L. III.
c. 2.
Rhodig.
L. XVII. c. 19.
20, 21.
Rosin. L. V.
c. 39. L. III.
c. 31.
2. Sam. I. v.
18. seqq.

Gretf. L. III.
de Fun. Chr.
c. I.

111 341
si optimo Principi, CHRISTIANO, inclyto Saxon. Jul. Cl. Mont.
Duci &c. Domino nostro, dum in viris erat, Clementissimo, parenta-
lia Sacra in nostrò Gymnasiò faceret. Nam, etiamsi de duratu-
rà literatissimi pariter, ac piissimi Principis memoriã sperare
nobis liceat, non indignum tamen pietatis hoc officium esse,
certò sibi persuasit Adolefcens, quò virtutes Principis in ani-
mis Symmachorum narrando ac prædicando primus dedica-
ret velut, & consecraret, utpote quæ tales tantæq; semper exti-
tère, ut præsentem non modò, verùm ætates posteras etiam,
quæq; ventura sunt secula, obstupescere posse videantur. Ne
tamen vel solus in oratoria Palæstra ille compareret, alii etiam
Juvenes, post habitam jam jam ex promptã memoriã Parenta-
tionem, in conspectum prodibunt, ac *parentalia Encomia* sistent
in suis *Græco Latino-Germanicis Epicediis*, Symmacho quidem de
politiori hoc *Artis oratoria specimine congratulaturi*. Erunt autem illi
Encomiastæ

GREGORIUS Reich/ }
ABRAHAMUS Wils/ } Lomnacio-Misn.
DAVID Ulmann/ Islebio-Saxo,

qui ipsi id laudis habent, quòd bonis literis sic sint dediti, ut ado-
lescentes tristè aliquè ac severũ Orbiliũ omnibus æqualibus
suis cũ Epaminonda, in familiaritate anteponerent, neq; prius
eum à se dimitterent, quàm doctrinis tantò antecederent con-
discipulos, ut facilè intelligi posset, pari modo omnes in cate-
ris artibus superaturos. Nunc, quoniam plura persequi tum
chartæ angustia prohibet, tum festinatio, ut ea longius expli-
cem, quæ exorsus sum, ad invitationem venio, & ut *justa justè*
DIS MANIBUS Celsissimi nostri Principis, τὸ μακροῦτος, solvantur,
benevolũ à Literatis omnibus ac singulis, cujuscunq; ordi-
nis sint ac status, accessum submissè peto atq; contendo. Acce-
dite, quæso, Viri Opt. in crastinum horã locòq; suetò, & vestro
tam facili accessu facite, ut, à vobis etiam qu. experimentum
capiendo, Docentium & Discientium ad ulteriora postero
tempore fiat progressus. PP. Altenburgi Anno Christianæ Sa-
lutis clò Ioc LXIII. VIII. Octobr.

HC

Mont.
parenta-
duratu-
perare
um esse,
s in ani-
dedica-
ber exti-
s etiam,
tur. Ne
ii etiam
parenta-
a sistent
idem de
atem illi
ut ado-
ualibus
q̄ prius
nt con-
in cate-
ai tum.
s expli-
usta justè
vantur,
q̄ ordi-
o. Acce-
x vestro
ntum.
postero
ana Sa.

ULB Halle

3

004 965 167



W. 17





h. 67, 14

PARE
Celsifim
DN.C
DUCIS SA
Princip

cras

ILLUS

M, C

Typis Jo

